

APÉNDICES

1.—Resumen teológico de la controversia de Auxiliis presentado por los jesuítas a Paulo V.

Arch. Vatic. Fondo Borghese, I, 388... 389, ff. 95-99.

PROPOSITIONES IN QUIBUS CONVENIMUS

1. Liberum arbitrium per peccatum originale spoliatum fuisse gratuitis donis et vulneratum in naturalibus.
2. Liberum arbitrium ita laesum non posse in omne bonum opus, etiam naturale, quod poterat in natura integra.
3. Nullum ex his operibus, quae concilia vocant, *pia, et qualia ad salutem oportet*, posse fieri ab arbitrio solis suis viribus sine gratia Dei.
4. Non posse liberum arbitrium solis suis viribus diligere super omnia Deum, ut finem naturae, dilectione efficaci.
5. Non posse arbitrium solis suis viribus habere actum attritionis vel contritionis, amoris, vel alium similem erga Deum, ut finem supernaturalem, vel fidei lumine propositum.
6. Non posse liberum arbitrium solis suis viribus vincere quamcumque gravem tentationem, non solum pro unico instanti, sed etiam pro toto tempore quo durat; quod est absolute resistere.
7. Ex his operibus, quae arbitrium potest se solo facere (quaecumque sint), nullum esse quod se habeat tanquam meritum, vel commensurata dispositio ad gratiam, vel finem supernaturalem; sed omnia illa opera nullius esse valoris aut vigoris ad gratiam consequendam.
8. Primam gratiam praevenientem dari semper mere gratis, nec aliquid praecedere, vel unquam ex parte arbitrii expectari, cuius intuitu Deus illam tribuat.
9. Vocationem ad fidem non pendere in genere causae meritoriae a libero arbitrio.
10. Deum non esse solitum conferre, secundum legem ordinariam, supernaturalem internam vocationem ad fidem, nisi praecedente aliunde notitia rerum credendarum.
11. Non dari ex parte liberi arbitrii aliquid, quod sit vel causa vel conditio sine qua non, praedestinationis quoad omnes eius effectus.
12. Bonum auxiliorum gratiae usum effectum esse praedestinationis etiam ut ab arbitrio.
13. In negotio iustificationis (in quo gratiam et arbitrium con-

currere necesse est) gratiam esse principaliorē causam et quae praeponderat; nihilque habere hominem in sua iustificatione, de quo, tamquam de non accepto a gratia, gloriari possit.

14. Dari non solum auxilium gratiae sufficiens, sed etiam efficax, et cum hoc optime stare libertatem arbitrii.

15. Per hoc auxilium efficax, Deum non solum dare ut possimus, sed etiam ut velimus, et facere ut faciamus, convertere nostras voluntates et ex nollentibus volentes facere.

16. Ad salutem consequendam non sufficere solam gratiam excitantem et illuminantem, sed necessariam esse gratiam cooperantem adiuvantem.

17. Gratiam non solum esse necessariam ex parte intellectus, sed etiam ex parte voluntatis, et in utraque potentia sine nobis libere cooperantibus fieri.

18. Auxilium efficax dari a Deo, pro solo suo beneplacito, quibus vult. Cur autem his det et non illis, ad eius incomprehensibilia iudicia pertinere.

19. Certum esse et infallibile, neminem sine efficaci gratia vel fuisse conversum vel fore convertendum, *esse tamen certum et infallibile, converti eos omnes, quibus a Deo efficax gratia conceditur.*

20. Perseverantiae donum necessario includit auxilium efficax.

21. Praedestinationis decretum debere esse absolutum et non conditionatum.

22. Praedestinationem esse certam et infallibilem.

23. Cognosci a Deo futura *contingentia conditionalia* a causa libera dependentia certa et infallibili cognitione.

PROPOSITIONES DE QUARUM VERITATE ET CERTITUDINE DISSENTIMUS

1. Patres Dominicani affirmant, liberum arbitrium ita vulneratum in naturalibus, ut in ipsis animae potentiis aliquod vulnus fuerit inflictum, quo earum virtus minor sit quam esset in homine in puris naturalibus.

2. Nos dicimus naturalia haec mansisse in homine integra et qualia in puris naturalibus essent, nec alia ratione hominem in naturalibus fuisse vulneratum, nisi quia caruit dono iustitiae originalis, quae naturales hominis defectus sanabat, licet ipsa in se gratuitum donum esset et naturae non debitum, et hominem in his statibus tanquam nudum a spoliato differre.

3. Patres Dominicani affirmant, arbitrium ita laesum, ut *non possit facere actum morale bonum ex omni circumstantia, nec quod virtutis opus sit.* Nos vero concedimus posse fieri ab arbitrio solis suis viribus actum morale bonum ex omni circumstantia bonum, et qui, in ordine ad finem naturalem, sit opus virtutis.

4. Nos affirmamus, esse *probabile, posse solis naturae viribus haberi actus fidei, spei et charitatis, non quales* ad salutem oportet, sed *mere naturales*, et quoad solam substantiam operum. Patres Dominicani dicunt hoc esse gravi censura dignum.

5. Nos dicimus esse probabile, posse hominem solis naturae viribus resistere cuicumque gravi tentationi contra legem naturae, pro singulis instantibus temporis quo durat. Patres Dominicani hoc condemnant.

6. Nos dicimus, posse arbitrium suis viribus tendere in obiecta materialia supernaturalia, proposita naturali cognitione, actu inefficaci et imperfecto. Patres Dominicani id negant.

7. Nos dicimus, internam vocationem ad fidem et excitationem peccatoris ad poenitentiam pendere a libero arbitrio eius qui vocatur, tanquam ab acquirente phantasmata et notitias rerum fidei, sine quibus non solet Deus ad fidem vocare. Patres Dominicani etiam hanc dependentiam negant.

8. Nos affirmamus, esse probabile Deum nunquam denegare praevenientem gratiam homini ex solis naturae viribus facienti quod in se est; imo hanc esse infallibilem legem propter merita Christi factam. Patres Dominicani dicunt, hoc esse erroneum, et contendunt de facto aliquando denegari infidelibus adultis, facientibus totum quod in se est naturae viribus, sufficiens auxilium, propter solum originale peccatum.

9. Patres Dominicani affirmant, auxilium efficax, quo Deus non solum dat posse, sed operari, praedeterminare physice voluntatem ad actum. Nos dicimus, etiam posito auxilio efficaci, semper manere voluntatem indeterminatam et indifferentem, et oppositum esse contra fidei principia.

10. Patres Dominicani affirmant, non posse liberum arbitrium in sensu composito dissentire gratiae physice praedeterminanti, et Concilium Tridentinum in sensu diviso esse intelligendum. Nos vero affirmamus, Concilium Tridentinum in sensu composito fuisse loquutum, et cuicumque praevenienti gratiae, secundum suam entitatem consideratae, quantumvis efficaci, posse arbitrium etiam in sensu composito dissentire.

11. Patres Dominicani affirmant omnem gratiam, cui arbitrium consentit et dissentit prout vult, esse gratiam quae tantum dat posse, non vero quae dat facere. Nos dicimus etiam illi gratiae praevenienti, quae dat facere, liberum arbitrium consentire et dissentire pro libito, et oppositum esse contra fidem.

12. Patres Dominicani affirmant omnem gratiam, praeter physice determinantem, non recedere a lege atque doctrina, et hanc solam esse veram gratiam Christi. Nos contendimus hunc esse manifestum errorem in fide.

13. Patres Dominicani affirmant, necessitatem antecedentem, ortam ex praevenienti auxilio efficaci non praeiudicare libertati. Nos dicimus hanc necessitatem antecedentem non posse cum libertate arbitrii stare.

14. Patres Dominicani affirmant, physicam praedeterminationem ita esse necessariam, ut non solum ad omnes actus supernaturales, sed et ad omnes naturales et etiam ad omnia opera, quibus intrinsece est annexa malitia peccati, necesse sit voluntatem a Deo physice praedeterminari. Nos vero credimus hoc non posse sine gravissimo errore affirmari.

15. Patres Dominicani affirmant, auxilia gratiae esse ex se solis efficacia et inefficacia. Nos dicimus nulla gratiae auxilia esse efficacia vel inefficacia ex se solis, hoc est per illam solam entitatem realem, quam in actu primo accipiunt a Deo, praescindendo ab omni ordine et respectu ad arbitrium.

16. Patres Dominicani affirmant, eum qui convertitur semper recipere maiorem gratiam praevenientem, non solum in genere doni

sed etiam in genere entis, quam illum qui non convertitur. Nos dicimus hoc non esse necessarium, sed stare quod ex duobus praevenientis aequali auxilio in genere entis, unus convertatur et non alius.

17. Patres Dominicani contendunt, auxilium efficax physice praedeterminans esse ultimum complementum actus primi et simpliciter necessarium ut voluntas possit operari. Nos dicimus per solum auxilium sufficiens (si vere sufficiens est) voluntatem perfecte constitui in actu primo ut possit operari.

18. Patres Dominicani consequenter affirmant, non posse voluntatem sine efficaci auxilio bene operari. Nos dicimus voluntatem nunquam sine auxilio efficaci bene operaturam, posse tamen sine illo bene operari.

19. Patres Dominicani affirmant, res ideo futuras esse, quia a Deo cognoscuntur futurae. Nos e contra dicimus ideo cognosci a Deo ut futuras, quia futurae sunt, et de peccatis non posse id sine manifesto errore negari.

20. Patres Dominicani affirmant, futura conditionalia, quae a Deo certo cognoscuntur, cognosci a Deo ante decretum mere absolutum suae voluntatis, non vero ante decretum absolutum quod appellant de objecto conditionato. Nos vero affirmamus ante omne huiusmodi decretum agnoscere.

21. Patres Dominicani affirmant, certitudinem praedestinationis fundari in gratia ex se sola efficaci et physice praedeterminante. Nos dicimus, praedestinationem ideo esse certam, quia Deus statuit dare auxilia cum quibus praeviderat hominem salvandum, si illi darentur.

22. Patres Dominicani affirmant, hominem per donum perseverantiae fieri impeccabilem. Nos vero e contra dicimus adhuc posse peccare, et contrarium esse errorem.

23. Patres Dominicani affirmant, ita esse nostram iustificationem Deo tribuendam, ut nec ante gratiae receptionem, nec in receptione gratiae, nec in illius augmento ulla laus vel locus relinquatur arbitrio. Nos e contra dicimus semper relinqui libero arbitrio suum locum, tam ante gratiae receptionem, quam in gratiae receptione et in eius augmento.

24. Nos dicimus, auxilium efficax consistere in vocatione congrua, nimirum in illuminatione intellectus et inspiratione voluntatis, quas tunc Deus homini praestat, cum novit congruere ut vocantem non respuat. Patres Dominicani dicunt, hoc esse Pelagianum, nec salvari hoc pacto veram gratiae efficaciam.

25. Patres Dominicani affirmant, auxilium efficax esse solam et adaequatam causam conversionis, et eius denegationem, quae a solo Deo est, esse solam et adaequatam causam non conversionis. Nos vero affirmamus, non conversionem semper nobis solis tribuendam, conversionem vero, licet principaliter sit a Deo, et gratia ipsius, non tamen a sola gratia esse, sed etiam ab arbitrio, tanquam ab eo, sine cuius libero consensu nihil gratia operaretur.

PROPOSITIONES IN QUIBUS QUOAD FACTUM DIFFERIMUS, CUM TAMEN
IN EARUM REPROBATIONE CONVENIAMUS

1. Patres Dominicani affirmant, Pelagium admisisse tanquam simpliciter necessariam ad actus supernaturales gratiam sufficientem, tum ex parte intellectus tum ex parte voluntatis; nec alio nomine fuisse impugnatum ab Augustino et damnatum a Conciliis, nisi quia negavit gratiam physice praedeterminantem. Nos e contra dicimus, nullam gratiam admisisse Pelagium tanquam simpliciter necessariam, sed solum ad facilius; et non de efficacia gratiae, sed de necessitate internae gratiae fuisse cum illo controversiam.

2. Patres Dominicani affirmant, Calvinum non ideo errasse vel damnatum fuisse, quia dixit gratiam ita esse ex se sola efficacem, ut ei non possit arbitrium dissentire; sed quia ex hoc antecedenti, quod putant verissimum, intulit per pravam consequentiam erroneam consequens, nimirum gratiam tollere libertatem. Nos dicimus errorem Calvinum in illo antecedenti consistere, et propter illud fuisse in Concilio Tridentino damnatum.

3. Patres Dominicani affirmant, Molinam constituere liberum arbitrium tam sanum sicut in natura integra, quantum ad actus moraliter bonos. Nos negamus.

4. Dicunt Molinam de facto tribuere arbitrio vires ad faciendos actus tales quales ad salutem oportet. Idque in specie contendunt de fide, spe, charitate, attritione et contritione. Nos vero dicimus id et in genere et in specie fuisse a Molina negatum et anathematizatum.

5. Dicunt Molinam ponere meritum, valorem et vigorem in actibus naturalibus, ut propter illos vel eorum intuitu detur praeveniens gratia. Nos dicimus totum contrarium docuisse Molinam.

6. Contendunt Molinam ponere causam praedestinationis quoad omnes eius effectus ex parte praedestinati. Nos dicimus nullum hoc damnasse Molinam.

7. Dicunt in via Molinae aliquos praeveniri a gratia Dei, ab aliis vero praeveniri Deum et gratiam ipsius. Nos negamus fuisse unquam hoc a Molina assertum.

8. Affirmant etiam sententiam Molinae esse, nullum praeveniri gratia Dei, nisi prius naturae viribus faciat quod in se est. Nos negamus hoc unquam dixisse Molinam sed potius contrarium.

9. Dicunt, in via Molinae et in sententia de vocatione congrua nos inchoare nostram iustificationem, eiusque initium non ex Deo sed ex nobis esse. Nos negamus hoc unquam a Molina vel aliquo ex nostris authoribus fuisse assertum.

10. Dicunt, affirmari a Molina hominem se disponere ad gratiam faciendos solis naturae viribus quod in se est. Nos dicimus longe hoc abesse a mente et verbis Molinae.

11. Dicunt, Molinam tribuere arbitrio vires ad habendam sine auxilio gratiae dilectionem super omnia perfectam et efficacem Dei, ut finis naturalis, quae peccatum omnino excludat. Nos affirmamus, Molinam de sola imperfecta et inefficaci fuisse loquutum, et quae cum peccato mortali stare possit.

12. Concludunt, Molinae sententiam esse, nos solis naturae viribus incipere iustificationem nostram et in progressu tantum adiuvari. Nos dicimus nunquam Molinam talem propositionem asseruisse.

13. Concludunt esse sententiam Molinae, liberum arbitrium et gratiam ita esse causas partiales eiusdem actus, ut neutra alteram moveat vel praestet virtutem agendi, fiatque pars actus ab una et pars actus ab altera. Nos dicimus nunquam hoc dixisse Molinam.

14. Dicunt, Molinam eam solam gratiam cognoscere et admittere necessariam, quam admisit Pelagius. Nos dicimus ponere omnes gratias quas Tridentinum Concilium docuit esse necessarias.

15. Dicunt, esse Molinae sententiam, gratiam Dei praedeterminari a libero arbitrio. Nos negamus tale unquam a Molina dictum.

16. Dicunt, esse sententiam Molinae, Deum non habere absolutam voluntatem salvandi praedestinos, sed eam tantum generalem, qua vult omnes homines salvos fieri. Nos negamus hanc esse sententiam Molinae.

17. Dicunt, in sententia Molinae non esse a Deo quod homo habeat perseverantiae donum, sed ex sola arbitrii libertate. Nos negamus id unquam a Molina dictum.

18. Dicunt, secundum sententiam Molinae cognosci a Deo per scientiam mediam immo et per absolutam scientiam visionis ea quae homo facturus est se solo, absque ullo auxilio Dei. Nos dicimus hoc imponi Molinae.

19. Dicunt, secundum sententiam Molinae, donum perseverantiae non includere nisi gratiam habitualement et auxilium sufficiens. Nos negamus hanc esse sententiam Molinae.

20. Dicunt, in sententia Molinae, bonum auxiliorum gratiae usum ut ab arbitrio non esse effectum praedestinationis. Nos dicimus, in sententia Molinae, bonum auxiliorum gratiae usum esse effectum praedestinationis, etiam ut ab arbitrio, licet id non habeat quia ab arbitrio est, sed quia est ex donis gratiae.

2.—Tesis defendidas en Valladolid por los jesuitas
el 5 de Marzo de 1594.

(Del ejemplar impreso que poseemos.)

AVGVSTISSIMO AU SERENIS.

INFANTI ALBERTO AVSTRIACO S. R. E.

CARDINALI. ALFONSVS ROMERO E SOCIETATE IESV

AETERNAM PRECATVR FOELICITATEM.

Facie et nomine tuae celsitudini ignotus (Serenissimè Princeps) et requidem ipsa inutilis seruus, etiamsi affectu tuis obsequiis deditissimus, non auderem has theologicas assertiones, munusculum tua celsitudine indignum, tibi offerre, nisi ad id ea me compulisset occasio, qua illas edere coactus sum. Liber de concordia liberi arbitrii cum donis gratiae, etc. a P. D. Ludouico Molina tibi dicatus tua, et sacri, supremiq; senatus Lusitanae Inquisitionis, cui tunc temporis praesidebas, approbatione illustris, et auctoritate munitus, supe-

rioribus annis in lucem prodiit, et summa cum gratulatione à quibusuis uiris doctissimis acceptus est, qui in eo, et tuam reuerentiam auctoritatem, et insigne doctrinae specimen ad euincendos nostri temporis haereticos, quàm accommodatissimum suspiciebant. Vix tamen libellus primam lucem uiderat, cum aliqui aliàs docti et pii homines quibusdam sententiis eiusdem libri, quae priuatis eorum placitis repugnabant, offensi illius doctrinam apud tuam celsitudinem, sacrumq; senatum suspectam reddere conati sunt. Libellus tamen, qui te patrono foeliciter natus fuerat, te etiam, eodemq; senatu protectore et defensore, et à calumniis persequentium ereptus, et uindicatus, et illustrior in lucem redditus, maioriq; affectu et aestimatione ab omnibus piis et doctis iterum exceptus est. At non defuere etiam nunc, qui nec celsitudinem tuam, nec illius sacri senatus, auctoritatem reuerenti, easdem propositiones super quibus liber examinatus semel et iterum approbatus fuerat, condemnare audacter, libellum et authorem indignis conuitiis insectari, suspectumq; apud imperitos reddere, et omnino obscurare contendant. His ut aliquantisper obsisteremus has edidimus conclusiones in libri defensionem, quem tuam benignissimam protectionem contra ualidiores aduersarios toties expertum, nunc à persequentium telis sub eadem protectione tutandum, et uindicandum, simul cum his assertionibus humiliter offerimus. Tuum erit Serenissime Princeps, pios atque innocentes homines pro Ecclesia Dei laborantes continuo fouere, ut facis: eorum interest Deum assidue precari, ut tuam celsitudinem Ecclesiae sanctae utilitati diu incolumem seruet. Vale.

Ex libro *concordia liberi arbitrii cum gratiae donis*, etc. Authore P. D. Ludouico. Molina Primario quondam in Euorensi Academia Theologiae professore è Societate *Iesv*.

QUAESTIO THEOLOGICA

Vtrum cum aequalibus auxiliis gratiae possit contingere, vt è duobus infidelibus ad fidem vocatis, alter conuertatur, manente altero in infidelitate?

PRIMA CONCLUSIO

Angelorum hominumque naturam libertate arbitrii esse praeditam tam quoad actus naturales, quàm quoad supernaturales, et fide credimus, et ratione naturali, experientiaque comprobatur. Est autem libertas indifferentia voluntatis, qua, positis omnibus requisitis ad agendum, potest agere, et non agere, aut ita agere vnum, vt contrarium etiam agere possit: quam habet voluntas in eodem instanti suae operationis. Neque huic libertati repugnat dependentia voluntatis à Deo, vt à prima causa, ab eius gratia, scientia, voluntate, prouidentia, et praedestinatione. Adeò libertati voluntatis consentanea est dependentia eius à Deo, quasi à prima causa, vt sine illius vniuersali concursu nullum prorsus actum possit habere, etiamsi peccatum sit; licet nullo modo Deus dicendus sit causa peccati. Ideò tamen uniuers-